QUAEDAM

DE

FEBRE INTERMITTENTE SOPOROSA.

DISSERTATIO
INAUGURALIS MEDICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
UNIVERSITATE LITERARIA
FRIDERICA GUILELMA
PRO SUMMIS
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORIBUS
RITE OBTINENDIS
DIE XXVII. OCTOBRIS M. A. MDCCCXXXII.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

JOSEPHUS NADERMANN
GUESTPHALUS.

OPPONENTIBUS:

G. PEIFFER, MED. ET CHIR. DRE.
G. BEHN, MED. ET CHIR. CAND.
FR. BOEGER, MED. ET CHIR. CAND.

BEROLINI,
TYPIS NIETACKIANIS.

VIRO

SUMME VENERANDO, DOCTISSIMO

J. M. KUNDERS,

PAROCHO JUBILARIO APUD BOKENENSES,

NEC NON

VIRO

HUMANISSIMO, AESTUMATISSIMO, EXPERIENTISSIMO DOCTORI

L. KOTTMANN,

MED. PRACT. APUD DELBRUGGENSES,

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

GRATO PIOQUE ANIMO

D. D. D.

AUCTOR.

Tempore vernali et aestivo anni 1831 Bokenae, Guestphaliae vico, atque regione circumjecta morbus grassabatur, qui, quatuor annis ante in Stukenbrochio, sex horas a Bokena remota regione deserta exortus, febris Europaea aestiva *), aut Groeningica **) appellabatur. Morbus vero eodem anno Bokenae mutata forma apparuit. Ego quidem licet casus permultos observaverim, tamen, quum cunctae a me factae observationes dissertationis inauguralis modum excederent, febrem tantummodo cum sopore conjunctam, adnexa morbi hi-

*) H. Schmidt, Das Europäische Sommerfieber. Paderborn und Arnsberg 1830.

**) Quia eodem tempore hunc morbum in Groeninga grassantem per operarios Guestphalicos, qui in Hollandiam laborandi causa se conferunt, translatum ad nos esse verisimile est, quum eorum multi hocce morbo affecti rediissent.

storia de febre intermittente apoplectica, describere constitui.

Febris intermittens cum sopore apparuit:

1) typhus cum febre intermittente soporosa;

2) febris int. soporosa simplex.

I. Typhus cum febre int. soporosa.

Morbus vel lenis synocha vel febris gastrica incepit. Priori in casu raro tantum prodromi aderant, sed aegroti potius, vehementi subito frigore correpti, magno calore, capitis doloribus, raro nonnisi ad deliria auctis, afficiebantur. In casu autem posteriori inappetentia, lingua muco albido obtecta, mutatus sapor, capitis dolores, pressus in cordis scrobiculo, interdum horripilatio aliquot diebus, antequam morbus intraret cum frigore, praecesserunt. Neque minus praecordiorum anxietas, metus suffocationis, vomituritio, imo vomitus, quo anxietas aliquantisper comminuebatur, una cum frigore consociata erant. Alvus plerumque obstructa, calor vehementissimus, nec non ingentes capitis dolores; largus nonnunquam sudor aegrotis levamen praebuit.

Hic uterque status aliquot per dies perdurans vel in sanitatem, vel in febrem int. simplicem vel in typhum cum febre int. soporosa transiit.

In typhum si transierat, aegri de capitis hebe-

tudine, aurium tinnitu, prementibus et in vertice et in nucha et in dorso doloribus queri coeperunt. Lingua et gingiva obtectae erant e fusco-nigro muco, alvus obstructa vel laxa, atque in hoc casu, adhibito pressu, abdominis dolores. Praesente obstructione dolores in cordis scrobiculo atque anxietas raro defuerunt.

Hic vero status unum vel duos dies perduravit, ac febris int. soporosae paroxismus cum eo conjunctus clare conspici poterat. Ineunte paroxismo aegroti oscitare, et manus pedesque frigescere coeperunt. Deinde horripilatio per dorsum extensa, frigus vehemens, dimidiam ad duas horas indurans, sese ostenderunt. Intrante calore omnia symptomata nervosa summum gradûm attingere, aegroti in lecto anxietate cruciati se jactare, lectum relinquere, sed ita debiles erant, ut ex eo vix egressi procumberent; praeterea dolores capitis vehementissimi. Tandem aegroti quieti esse coeperunt; erant in soporem proni, a quo facile excitati, statim in somnum relabebantur; rationem neque sui, neque circumstantium reddere poterant, nonnunquam obloquebantur, nec suos conceptus valebant exprimere, et licet erroris sui compotes, se tamen haud poterant corrigere aut continere.

Loquendo vel concutiendo vel ulla alia ratione haud erant retinendi vigilantes *).

Sicco huic calori succedebat largus sudor, saepenumero tam vehemens, ut aegroti per diem lintea pluries commutare deberent; urina quoque cum sedimento latericio. Paroxismus modo brevius, modo longius per tempus, sex vel duodeviginti horas perduravit. — Aegrotis vero neglectis, post duos vel tres paroxismos nulla amplius intermissio apparuit; complures dies aegri dormiebant, neque ullo modo e somno saepius excitandi, qui autem, si forte fuerint expergefacti, oculis quasi rigidis circumspectabant, nec ulla voce edita mox rursus oculos connivebant. Tum etiam facies rubra, os apertum, sudor colliquativus, tenax, frigidus, ingratum spargens odorem, corpus ad pedes collapsum. Praesentibus hisce symptomatis mors raro procul aberat.

Finito paroxismo symptomata quidem nervosa non omnino remittebant, sed tamen minore tantummodo gradu perdurabant; dolores capitis comminuti, nec unquam deliria inveniebantur, ac plerumque somnus salutaris aegrotos recreabat.

---

*) Francisci Torti therapeutice specialis ad febres periodicas perniciosas etc. Francofurti et Lipsiae in officina Fleischeriana. MDCCLVI. — 4to. pag. 177.

Ego quidem, morbum sine medici auxilio fausto usum esse exitu, nunquam observavi; sed complures potius ejusmodi aegrorum neglectorum, auxilio serius petito, morti traditos vidi. Remota febre intermittente comitante, sensim sensimque morbus in valetudinem convertebatur.

Typus in casibus a me observatis semper tertianus fuit.

II. Febris intermittens soporosa simplex.

Huic febri fere semper antecedebant prodromi: inappetentia, sapor amarus, ructus, pressus praecordiorum, albido aut flavo muco obtecta lingua, vomituritio, capitis dolores, omnium membrorum lassitudo, alvi obstructio; sequebatur deinde vel febris int. simplex, quae postea apparuit soporosa, vel febrem int. soporosam statim sese praebuit.

a) Stadium frigoris. Manus pedesque frigescere coeperunt; oscitatio, aura frigida per dorsum diffusa; horripilatio, frigus saepe vehementissimum, nunc longius, nunc brevius temporis spatium durans.

b) Stadium caloris. Frigus paulatim deminuitur, manus pedesque incalescunt, postremum calor per totum corpus diffunditur, admodum increscit, mordet; facies rubefacta, tinnitus aurium, capitis dolores, interdum deliria, sopor, qui eadem,

ut in typho, ratione utitur; pulsus frequens et plenus et duriusculus.

c) Stadium sudoris. Sopor perdurat, largus, acidum spargens odorem, sudor totum per corpus se extendit; capitis minuuntur dolores, atque urina cum sedimento latericio ostenditur, soporemque evanescentem recreans plerumque somnus sequitur.

Sopor, nisi ad alterum paroxismum medici auxilium fuerat arcessitum, raris solummodo casibus remittebat, aegroti duos vel tres dies dormiebant, ac postremnm, nequaquam excitandi, sudoribus colliquativis frigidis obruti, diem supremum absque doloribus obierunt.

Hujusce febris typus in iis, quos observavi, casibus semper fuit tertianus, sed tamen alii typum quoque quotidianum vidisse sese contendunt, ubi accessio altera alteri ita adjuncta fuisse dicitur, ut vix adesset intermissio.

Reconvalescentiam vero, ac praecipue in typho cum febre int. soporosa, tam diu produci memoratu dignissimum est. Aegroti quamvis lectum possent relinquere, longissime tamen motione facta vel minima ex magna lassitudine, inappetentia laborabant, neque cibos quam facillime concoquendos saepius patiebantur. Neque minus

mane complures per hebdomades sudoribus profusis capitîsque doloribus multo post reconvalescentiam saepenumero premebantur. Atque aegrotorum nonnulli conjuncta cum copiosis sputis tussi, qua demum longe post liberabantur, affecti sunt. Diaeta etsi parumper neglecta vel advocata refrigeratione, facile oriebantur recidivae in febres int. simplices, saepenumero tam pertinaces, ut, medicina perperam neque tempore constituto ab agricolis hausta, totum per annum adhuc remanerent, atque, etiamsi remotae, semper reciderent. Praeclare jam Tortus memorat: „Ceterum quam gravis sit haec species lethargicae, cerebrum lethaliter impetentis, satis ostendit observatio, quae hic velim consideretur; nempe quod in febribus hujusce speciei fere semper contingit recidiva, saepe etiam gravis, subsequiturque difficilis convalescentia ex difficillima eradicatione causae ad nervorum usque principia translatae ibique secundum aliquas sui reliquias tenax contubernium agentis." *) — Homo constitutione praeditus robusta si febre int. soporosa simplice correptus confestim a medico tractabatur, eum saepe jam post aliquot dies negotiis iterum fungentem vidi-

*) Vid. Tort. l. c. pag. 292.

mus. Homines contra debiles aeque longo tempore post infirma utebantur valetudine, quam si ex typho simul laborassent.

Aetiologia.

Causa hujusce morbi maxime praecipua, uti jam supra memoratum, in progressa epidemia in Stukenbrochio grassante nitebatur, sed, ut morbus tantos faceret progressus, fieri non potuisset, nisi complures aliae conditiones ipsi favissent. Etenim regio est paludosa, ac fere quotannis a Lupia inundatur, paludesque relictae atque exsiccatae vere et aestate febres int. facile procreant. Praeterea quoque incolarum domus plerumque parvae sunt et humiles ac humidae, cellarum dormitoriarum solum non tabulis, sed arena saepe modo stratum, fenestrae raro aperiendae, neque domus ac vestimenta munditia, neque cutis accuratiore cura gaudent. Pari modo incolarum nutrimenta vilia ac prava, cibi meridiani reliquiae seponuntur, temporeque vespertino haud recoctae consumuntur. Cibus autem carneus tantum exiguus est, ac solummodo ex carne suilla constat, sicuti quoque panis asper, difficilis concoctu, nec saepe satis coctus exsistit. Deinde frequentes aestate refrigerationes propter labores, qui in aqua perfi-

ciuntur, et propter vestimenta nimis levia advocantur. Huc accedit, ut hoc ipso tempore febris intermittens per totam fere Europam epidemica esset divulgata. Neque minus multi dormiendo apud laborantem febre int. contagione eandem sibi contraxerunt, cui conditionibus infaustis etiam lethargus accedebat.

P r o g n o s i s.

Prognosis in universum qualibet in febre int. comitata infausta est dicenda, quoniam secundus vel tertius paroxismus plerumque mortem advocat. Raro autem et typhus et febris soporosa simplex periculum attulerunt, si medici auxilium statim petebatur; sed, morbo nonnullos dies neglecto, aegroti raro erant conservandi. Tortus dicit: proinde si negligatur, nec inhibeatur progressus, lethargum una vel altera accessione mortiferum, ac omni arte invincibilem, fortis apoplexiae instar, fere dixerim, certo portendit *). Aegrotantes vero si e somno vix erant excitandi, atque in viscidos, colliquativos, frigidos sudores tanquam solvebantur, signum fuit infaustissimum. Gravis gastricismus paroxismum augebat eumque magis etiam profere-

*) Vid. Tort. therap. pag. 177.

bat. Periculosissimae vero ejusmodi febres soporosae erant, quibus febris int., cum gravi gastricismo conjuncta, vel perperam tractata, antecesserat. Multi enim aegrotantium sibi ipsi mederi remediis heroicis voluerant, unde febris malignitas etiam augebatur.

Therapia.

In quavis non maligna febre int. omne studium adhibetur, ut febris non supprimatur, priusquam ejus causa sublata fuerit; sic sordes gastricas remediis emeticis aut laxantibus antea removemus, digestioni turbatae restituendae, suppressae cutis exhalationi diaphoreticis aut vitae ratione, calore gaudente, in statum priorem integrum redigendae studemus; quo facto febris tandem supprimitur et nunc demum curari potest. Contra in febre int. maligna omnia haec indicia minime adsunt, atque in praesentia paroxismus tantummodo proximus prohiberi, igitur febris confestim opprimi debet.

I. Cura typhi cum febre int. soporosa.

Si ab initio praesto fuit synocha, antiphlogistice tractabatur; attamen erat providendum, ne aegroti vires nimis absumerentur, quia haud poterat praedestinari, utrum morbus in typhum

transiret, nec ne. Si, morbo in typhum converso, aegrotus apparatu antiphlogistico nimis erat debilitatus, typhus eo periculosior evadebat. Sufficiebant autem semper parvae doses kali nitrici cum liquore ammonii acetici. Praeterea regimen, in quo cibi potionesve fervefacientes non capiuntur, observari necesse est. Potus vero optimus aqua frigida fuit.

Si aderat febris gastrica, plurimis in casibus remedia emetica vel laxantia, prout sordes sursum vel deorsum turgescebant, praebenda erant. Efficacissimum emeticum fuit:

℞. Tart. stib. gr. 1;
pulv. rad. Ipecacuanh. ʒß;
M. f. p.

et laxans:

℞. Infus. fol. Senn. ℥v (ex ʒv.);
Natr. sulph. ℥ß—℥i;
Succ. liq. ʒi. M.

Post vomitum aut purgationem leniter solventia et roborantia remedia, ut ammonium muriaticum cum extracto fumariae, extr. card. benedict. etc. praebita effectus faustissimos exhibuerunt. Si vomitus sponte ortus apparebat, ac sordes non amplius adesse conjiciebatur, saturatio kali carbonici illum sedabat.

Si vero morbus, quamvis hoc modo tractatus, tamen in typhum transierat, nervina erant indicata, e. g. infusum Valerianae, cui praesente quoque gastrosi ammon. muriat. addi debebat. — Typo intermittente cum sopore conjuncto se ostendente, nervinis majore dosi adhibendis chin. sulph. admisceri debuit, quibus ejusmodi praesertim remedia erant adjungenda, quae in systema gangliorum vim exserunt, e. g. rad. caryophyllat. — Hanc vero formulam semper aptissimam inveni:

℞. rad. Valer. ʒiii—℥i;
rad. caryophyll. ʒii—℥ß;
Infund. aq. ferv. q. s. ad colat. ℥vi.
Adde: chin. sulph. gr. xii—xx;
spirit. sulph.-aeth.-succ liq. aa ʒi. — M.

Praeterea quoque praesente magno sopore dimidia quaque vel una hora aliquot naphthae vitrîoli guttas porrigere conducit.

Viribus vehementer diminutis valdeque auctis symptomatis nervosis, in deliriis etiam extra febris interm. paroxismum, remedia magis irritantia praeberi opus erat, e. g. infus. flor. Arnic; rad. Serpent; attamen propter febrem intermittentem chin. sulph. semper simul addendum; febre vero int. prorsus remota, pauca tantum chininii grana pro-

hibendae recidivae causa admiscenda erant. Praesente diarrhoea magnoque debilitatis statu rad. Arnic. permultum profecisse vidimus, quippe quae excitet simulque diarrhoeam supprimat.

Vehementes ad caput congestiones, quas nunquam tantopere adauctas conspeximus, ita ut frigida ad caput epithemata fuissent applicanda, sinapismos ad suras poposcerunt. — Febre int. omnino repulsa, infus. Valer. vel caryophyl., nutrimenta roborantia et aliquid vini aegroto ad reconvalescentiam reducendo sufficiebant.

II. Cura febris int. soporosae simplicis.

In stadio prodromorum raro a medico consilium petitum est; quamobrem hic nulla cura suscipiebatur; talibus vero conditionibus emetico febrem, quam erupturam esse verisimile erat, prohiberi non semel observavi.

Inter frigus, praesertim si vehementissimum erat, infusum theiform. ex flor. Sambuc. et chamomil. bibere, utilissimum fuit, quo hausto paululum diminuebatur atque calor celerius intrabat. Una cum calore et sopor apparuit, cujus deminuendi causa naphtha vitrioli adhibita est, atque in vehementibus congestionibus sinapismi ad suras applicati. Perdurante sudore naphtha continuata, ac si ille nondum plane decesserat, jam initium

praebendi chininii fieri debuit, praecipue si paroxismus diutissime durabat, ut insequens prohibeberetur. Hic plerumque adhibitum est:

℞. chin. sulph. gr. ii;
op. pur. gr. $\frac{1}{4}$;
sach. alb. gr. xv; M. D.
Dos. Nr. VII—X.

Aegrotis jam admodum debilitatis infus. Valer. et caryophyl. cum chin. sulph. porrigendum, quia hoc in casu certius agens simul roborabat. In utraque febre alia remedia raro indicata, atque, justo tempore arcessiti, morbum alioquin periculosum facillime removere poteramus.

Cura reconvalescentiae.

Viribus aegrotantium valde adhuc confectis, organis vero digestionis meliore utentibus conditione, decoctum cort. chin. cum spirit. sulph. aeth. maxime profuit; sed infirmatis digestionis organis, extracta amara, ut extr. trifol. fibr., extr. centaur. min; extr. card. benedict. cum TR. chin. compos. sive cum TR. cort. aurant. et aq. menth. pip. guttatim praescripta sunt. Ad praecavendum febris int. reditum hisce remediis aliquid chin. sulph. admiscere expedit. — Aegris pauperibus, ut theam

fol. menyanth. trifol. (fol. trifol. fib.), quae planta ibi frequenter occurrit, biberent, praescriptum est.

In sudores nocturnos decoct. Salv. maximam edidit efficacitatem, vel si febris int. paroxismi tempore apparebant, decoct. cort. chin. — Attamen per reconvalescentiam aegri a medico haud tractabantur, quoniam plerique omnes medicamenta horrebant, tumque ipsis nil, nisi diaeta roborans, commendari poterat. Contra febrem int. recidivam optime agebatur, si quatuor per hebdomades sexto quoque die duo ad quatuor gr. chin. sulph. sumebantur.

Historia morbi febris int. apoplecticae.

T. M. annum fere sexagesimum agens, constitutione subtumidula ac plethorica; temperamento phlegmatico, ex multis annis morbo haud affectus, bona valetudine paene semper gavisus est. Multo bonoque semper victu fruens, nonnunquam nimio vino spirituque usto ventrem oneravit; ceterum vero quietam expertemque curarum vitam degit.

VI. Aug. 1831. Aegrotus tres vel quatuor dies praeter consuetudinem parum victus cepit, ac de capitis doloribus ingratoque ructu questus, interdum per diem, id quod alioquin haud solitus est facere, in lectum se contulerat. Aegrotum quum

videbam, in lecto se circumjactans modo in dextro, modo in sinistro latere incubuit, modo sedit. Facies paululum rubra, pulsus parum frequens ac vix febrilis appellandus; ceterum vero plenior; lingua albido obtecta muco, alvus mollis. Interrogatus, aliud quid, quam quaerebatur, respondit, et in medio nonnunquam sermone haesit. Num alvum deposuerit, nec ne, comperire haud potuimus.

Diagnosis etsi in hoc casu incerta erat, affectio saltem systematis nervorum cum levi gastricismo conjuncta adesse videbatur; unde in praesentia praescriptum est:

℞. Infus. rad. Valer. ℥vi (ex. ʒiii);
ammon. muriat., succ. liq. āā ʒi;
M. S. Omni hora cochlear majus.

VII. Aug. Mane circa horam octavam. Nocte praeterita aegrotus bene dormivit, mentis suae magis compos ac febris plane expers. Alvum per noctem non deposuerat; sed lectum reliquerat. Medicina continuata est. — Tempore matutino circa horam undecimam aeger cubitum ivit, lenique horripilatione questus atque inquietus factus mente captus est. Paulo post eum vidi ac statum ejus ita comparatum inveni: totum corpus erat

calidum, exceptis pedibus, qui frigebant, facies ruberrima, aegrotus saepe manu ad caput tendebat, carotides arteriaeque faciei fortiter pulsantes; ejusdemque musculi spastice se moventes conspiciebantur; pulsus frequentior, plenus ac durus, cutis sicca, lectusque ab aegroto, summa inquietudine vexato, removebatur.

Quum hic impetum apoplecticum procul dubio appropinquare esset praevidendum, venaesectione quatuor vel quinque unciarum instituta, sinapismi ad suras ac femora applicati, et clysmata data sunt, quorum demum alterum alvum aperuit.

Jam vero ex hominibus, qui prioribus diebus aegroto praesto fuerant, quomodo antea valuerit, accuratissime quaeritur, quorum unus annunciat, illum post meridiem Nonarum Augusti de frigore questum, in lectum se contulisse, mox vero, ac facie quidem subrubicunda, resurrexisse. Quod quidem, febris int. paroxismum jamjam antecedisse, haud dubie indicavit. Quocirca praescriptum est:

℞. Naphth. vitriol. ℥i;
D. S. Dimidia quaque hora sex gutt.

#. ℞. chin. sulph. gr. ii;
op. pur. gr. $\frac{1}{4}$;
sach. alb. gr. xv. M. f. P. D. tal. dos.
Nr. VII. S. Biborio pulv. unus.

Vespere circa horam septimam. Vehementes ad caput congestiones comminutae, sed mentis suae nondum erat compos; sudores aderant profusi. Inde iterum praescriptum est:

℞. rad. Valer., rad. coryophyll. aa ℥iii;
infund. aq. ferv. q. s. ad colat ℥vi;
adde: chin. sulph. gr. xxiv;
spirit. sulph.-aeth. ℥i.

M. S. Omni bihorio cum pulveribus alternatim cochlear majus.

Naphtha vitrioli omittebatur.

VIII. Aug. Aegrotus per noctem inquiete dormiverat, sed tamen nonnunquam brevi tantum tempore quieto somno fruitus. Facies non amplius rubra, pulsus parum frequens, ac paene mollis appellandus. Vires animi aliquanto saniores, omnino tamen horis demum pomeridianis redierant. Alvus ope clysmatis efficiebatur. — Mixtura supra nominata, adjuncta liq. ammon. succin. drachma una, repetita est.

IX. Aug. Aegrotus modice valuit, sed fuit adhuc languidus, lectum tamen in breve tempus relinquere potuit. — Jam extracta amara, quibus chin. sulph. admiscebatur, sumsit.

XII. Aug. Aegroti valetudo, nisi quod debilitatis aliquid relinquebatur, restituta erat.

Nota. Quatuordecim circiter diebus post primum paroxismum huic similis apparuit, quem tamen non vidi, quia aegrotus alium in locum sese contulerat. Ceterum eodem modo eum esse curatum comperi, nisi quod pro venaesectione applicatae ad caput sunt hirudines. Postea quoque, quoniam saepe mala utebatur diaeta, febre int. recidiva pluries laboravit.

CURRICULUM VITAE.

Ego Joannes Josephus Nadermann anno MDCCCVIII, die XVIII mens. Maji, a patre Joanne Nadermann, ludimagistro, et matre Elisabetha, e gente Delker, quos morte mihi ereptos jamdudum lugeo, Delbruggii, Guestphaliae oppido, natus et confessioni catholicae addictus sum. Primis literarum elementis imbutus, gymnasium, quod Padibornae floret, Theodorianum adii, iisque per sex annos literis vacavi, quae ad studia academica viam muniunt.

Deinde, examine abiturientium absoluto, anno MDCCCXXVII Berolinum petii, ibique mense Octobri in numerum civium instituti regii medico-chirurgici Friderico-Guilelmiani receptus, per quadriennium in utriusque medicinae studium incubui.

Hoc temporis spatio hisce interfui praelectionibus: Cel. Wolf hodegeticen, logicen et psychologiam; Ill. Link historiam naturalem et botanicen; Ill. Lichtenstein zoologiam, mihi tradiderunt. Ill. Rudolphi de encyclopaedia medica, de anatomia corporis humani universa, de anatomia organorum sensuum, de anatomia foetus et de physiologia disserentem audivi. Osteologiae, splanchnologiae ac syndesmologiae praecepta accepi a Beat. Knape. Idem et Ill. Rudolphi in arte cadavera dissecandi me instituerunt. De physice, chemia

et pharmacia Ill. Turte, de chemia Ill. Hermbstaedt, de physiologia Cels. Eck; de materia medica Ill. Osann et Cel. Schulz, de arte formulas medicas rite concinnandi Cel. Casper, scholis interfui. Pathologia generali et speciali, semiotice, therapia tam generali, quam speciali Ill. Fr. Hufeland me imbuit. Pathologiam specialem et morbos mentis nec non syphiliticos Ill. Horn, Celsi de medicina libros et Burserii institutiones Cel. Hecker mihi exposuit. Artem obstetriciam et fascias rite applicandi, chirurgiam generalem et doctrinam de ossibus fractis et luxatis, akiurgiam Ill. Kluge; chirurgiam specialem Ill. Rust; ophthalmiatricen Cel. Jüngken debeo. — Clinicum ophthalmiatrico-chirurgicum duce Generos. de Graefe; clinicum chirurgicum duce Ill. Rust; clinicum ophthalmiatricum duce Cel.

Jüngken; clinicum medicum ducibus Ill. Wolf et Ill. Bartels per tria semestria frequentavi.

Jam vero tentaminibus et philosophico et medico, nec non examine rigoroso coram gratioso medicorum ordine absolutis, spero, fore, ut dissertatione conscripta thesibusque defensis summi in medicina et chirurgia honores in me conferantur.

THESES DEFENDENDAE.

I.

Venas resorbere nego.

II.

Arsenicum in febribus intermittentibus non est adhibendum.

III.

In amputatione penis cultro praeferenda est ligatura.

IV.

Specillum unicum nobis praebet certum remedium, calculos in vesica urinaria cognoscendi.